FRANC. ERN. BRUCKMANNI, MED. DOCT. ACAD. CÆSAR. NAT. CUR. ET SOC. REG. PRUSS. SCIENT…

Franz Ernst Bruckmann

Digitized by Google

FRANC. ERNEST. BRÜCKMANNI,
MED. DOCT.

EPISTOLA ITINERARIA XXVI,

DE

MARMORE
VARIORVM LOCORVM,

AD

VIRVM NOBILISS. CLARISS. ATQVE DOCTISS. DOM.

DOMINVM

ALBERTVM RITTERVM,

REGII LYCEI ILFELDIACI AD FAVCES SYLVÆ HERCYNIÆ COLLEGAM ET CON-RECTOREM, CELEBERRIMVM,

PHYSICVM, MECHANICVM, MATHEMATICVM INCOMPARABILEM,

PRÆCEPTOREM QVONDAM FIDELISSIMVM,

NVNC

FAVTOREM ET AMICVM SEMPER VENERANDVM.

(o)

WOLFFENBVTTELAE. MDCCXXXIII.

Digitized by Google

VIR NOBILISSIME ATQVE DOCTISSIME,

FAVTOR PLVRIMVM COLENDE!

Reliqua marmora & alabaſtra, *Vir clariſſime*, quæ lithophylacium noſtrum aſſervat, & curioſis ſpectanda præbet, in ſequentibus accipe; ſic ſe ſiſtit 1. Marmor variegatum *Hartzgerodenſe Principatus Bernburgenſis*.

2. Ejusdem loci nigrum, venis albis ſubtiliſſimis diſtinctum.

3. Obſcure-incanum, venis majoribus albis undique decuſſatim transcurrentibus.

4. Viride, ſed præcedentibus mollius, interim tamen polituram admittens.

Marmoris Blanckenburgenſis 1. variegati, multicoloris, optimi, duriſſimi, tabula polita.

2. Ova quinque polita, ex hoc miris & diverſis coloribus, nempe brunno, rubro, cinnabarino, miniato, luteo, flaveſcente, incarnato, albo incano, viridi, cœruleſcente, livido, &c. item variis lineis, venis, ſtriis, punctis, mirum in modum ludente lapide rornata & lævore inſigni, ſpeculi inſtar, ſplendentia.

3. Marmor rubrum, rariſſimum, columbini vul-

go coloris, duriſſimum, parvos ex pyrite aureo cubulos intermixtos habet.

4. Marmor viridiuſculum, a *Dno. Linde*, Con-Rect. iſtius loci clariſſ. & ſedulo rerum metallicarum & mineralium ſcrutatore, Ao. 1731. prius detectum.

5. Tabula triangularis polita, variis coloribus picta, in qua aliquot figuræ, uti cochleæ albæ, nec non nymphæ (Puppen) erucarum vel bombycum albæ & rubræ, mirando naturæ luſu & ſpectaculo viſuntur, quam liberaliſſimæ modo laudati Dom. Con-Rect. donationi debemus.

Obſervantur quoque interdum in hoc lapide aves & icunculæ virorum, juxta ac mulierum, eleganti naturæ penicillo variis, ſæpe etiam naturalibus, coloribus pictæ.

6. Marmor ſubalbicans, ſtriis nigris, ex quo elegantiſſimi globuli pro ſcipionibus tornari poſſunt, de *Rübeland*, Ao. 1732. prius detectum.

Marmora Blanckenburgenſia optima fodiuntur ad viam publicam inter pagos *Rübeland* & *Hüttenrode*, qui unico ſaltim milliari *Blanckenburgo* diſtant.

Maxima fruſta plurium centenariorum, omniumque colorum iſtius lapidis ibi adſunt, quæque inter omnia *Blanckenburgenſia* marmora optimam admittunt polituram; lævigata ſpeculi inſtar ſplendent; non ſine ſudore, maximoque labore, ob ſummam duritiem, ex lapicidinis marmoreis eruuntur, ſerris optimæ notæ in peculiari mola, Marmor-Mühle in laminas ſcinduntur, & inſtrumentis tornantur.

Marmor Goslarienſe 1. coloris lutei, vel rectius, Cinnamomei, Zimmetfarbener / in quo Dendritæ nigricantes ſubtiliſſimi & delicatiſſimi hinc inde venuſto na-

naturæ penicillo picti, qui vero, politura accedente, quod ad majorem partem, evaneſcunt, viſuntur.

2. Ejusdem loci incanum, maculis brunnis & albis, Kazen-Marmor dictum. Binas nominatas hujus lapidis ſpecies *Dn. Winckel*, Goslarienſ. Factor metallicus, vir rerum naturalium amantiſſimus & fautor cariſſimus, Ao. 1731. primus invenit & pouituræ commiſit. Plura de his proferre ſuperſedemus, cum *Tu ipſe*. *Vir celeber*. uberiorem horum lapidum delineationem cum orbe erudito curioſo in Oryctographia *Tua* Goslarienſi, hoc anno edita, jam benevole communicaveris.

Marmor album & incanum, ſplendens, duriſſimum optime politum, maculis ſanguineis; ex tractu montoſo ſylvis obducto *Aſſe* dicto, uno *Wolffenbüttela* lapide diſtante, in quo lapicidina ejusdem, olim notiſſima, jam inculta, deſerta, graminibus muſcoque tecta, non procul a domo venatoria, Jäger-Hauß/ invenienda.

Marmor oppidi montani, *Altenavia*, in *Sylva Hercynia*, duobus leucis Goslaria diſtantis, 1. cruentum, lineis albis majoribus & venis nigris ſubtiliſſimis.

2. Rubrum, prædurum, maculis cinnabarinis, & raris venis nigris, inſtar optimi variegati Jaſpidis.

Alabaſtra Oſterodenſia, non procul ab oppido montano, *Oſteroda*, ad *Sylvæ Hercyniæ* fauces proſtant. 1. albidum mit aſch-grau und röthlichen/ auch ins gelblich und röthlich ſpielenden marmorirungen/ hoc anno ſaltim detectum.

2. Ejusdem loci ſanguineum, puniceis lineis, quaſi fluminibus, prout in mappis geographicis viſuntur, diſtinctum.

3. Idem maculis albidis.

4. Idem albis, incanis & magnis flaveſcentibus nævis.

Hæc Alabaſtra, cum non vulgaris ſint notæ, & optimæ polituræ, in præſenti quidem non eruuntur, effodi tamen mererentur. Inventor horum eſt fabricatoris marmorum, Gaſpers, Northuſani gener, qui militiæ Regiæ Hannoveranæ caſtra ſequitur, & pro tempore hoſpitium ſuum, termino bellico quartier dictum, *Oſterodæ* habet.

Alabaſtra Nordthuſana 1. Rubrum, maculis albis & obſcure-incanis ſplendentibus.

2. Ex albis & lucido griſeis ſtriis & venis eleganter marmoratum, 1732. detectum.

3. Ex albo & obſcure-griſeo colore mixtum.

4. Candidiſſimum, venis incanis.

5. Sanguineum, recht Blut-rohter.

Alabaſtrum 1. atrum & obſcurum, valde durum, de pago *Steigerthal*, *Comitatus Stollbergenſis*, non procul *Northuſa*. Eruitur ex lapicidinis montium, der Breite Berg und der Schillenberg dictorum.

2. Idem undulatum, ſtriis latis pallidioribus.

3. Idem, glacie Mariæ argentea, Glintzerſpatt oder Marien-Glaß / craſſa, polita, ex una parte ſuperiori a natura inductum conf. Behrens Hercynia curioſa. p. 135. Menſæ ex hoc paratæ, videntur ſplendentes & argenteæ; vernice flava obductæ vero, aurum mentiuntur.

4. Idem ex utroque latere vitro Mariæ incruſtatum.

Hæc glacies Mariæ partim candida, nitens, ſplendens & pellucida, partim terra quadam candide-brun-

na,

na, hell-braun/ mixta, hinc obſcurior, Venæ hujus ſpathi in dicti nigri Alabaſtri fodina unicam tantum craſſitie unciam adimplent.

Artifices Northuſani, qui marmora & alabaſtra tractant, ſequentem vernicem, Gold-Firnis/ menſis glacie Mariæ obductis, ut aureæ videantur, adhibent, nempe recipiunt Gum. Laccæ, Sandaracæ ana unciam ſemis, Maſtichis, Balſami Peruviani, ana drachmas duas, Croci Orientalis optimi q. ſ. pro lubitu, prout quis exaltatiorem auri colorem deſiderat; ſolvunt hæc omnia in tertia parte menſuræ ſpiritus vini rectificatiſſimi, filtrant & aſſervant. Hac vernice ſuperungunt, plus vice ſimplici, admodum ſubtiliter modo dictum Mariæ vitrum, quod aureum ſplendentem ſic induit colorem.

5. Alabaſtrum ejusdem loci, Nußholtzſtein dictum, ex albo & griſeo marmoratum, tubercula ligni nucei arboris juglandis polita, Nußholtz-Maſern, optime refert. confer. Behrends l. c.

6. Idem pallidius, interſperſis maculis flaueſcentibus.

7. Alabaſtrum incanum. vid. Behrens. l. c.

8. Ex obſcuro-incanum, dunckel-grauer.

9. *Aſtroites ſpurius* albus, ſtellis griſeis ex ſpatho ſplendentibus, quem *Tu*, *Vir doctiſſ. Alabaſtrum ſolare*, Sonnen-Stein, Sonnen-Alabaſter, quia in ſuperficie polita minores ſoles ſplendentes argentei ſpathici adparent, in *Tua* lucubratiuncula de Alabaſtris Hohnſteinenſibus p. 9. nomine adæquato vocas. Figuram iſtius vide in noſtris Magnal. in loc. ſubterran. Tom. II. Tab. VII. Fig. I.

10. Alabaſtrum incanum, maculis ſplendentibus, ſpa-

ſpathicis, minoribus, nigricantibus, Forellen-Stein, quia variegatis ſuis maculis trutarum ſalmonatarum cutim imitatur, dictum, a *Te ipſo*, Ao. 1729. prius detectum; & forſan idem erit, quod l. c. in Lucrubratiuncula *Tua* Tieger-Stein nominaſti? Hic lapis maculatus eſt ſaltim vena quædam in lapicidina Alabaſtri nigri *Steyerthalenſis.*

11. Sanguineum, blut-rohter. vid. Behrens l. c.

12. Rubrum. vid. Idem l. c.

Strata in fodinis Alabaſtri hujus loci ſequenti ordine ſe exipiunt 1. candidum. 2. cinereum. 3. ſic dictum Cyper-Katzen-Stein, & tandem 4. atrum.

In monte Breiten-Berg ad pagum *Steyerthal* reperitur quoque Alabaſtrum ex albo, nigro & incano undulatum, weiß/ ſchwartz und grau gewäſſerter Alabaſter.

Item ſpecies quædam des Nußholtz-Steins, ex albo, flaveſcente, clare & obſcure-griſeo, maculato, non aliter ac tubera juglandis arborea, colore mixta.

Item pulchre candidum & ſplendens.

Item optimæ notæ clare-incanum & album, ſtriis latis & maculis, prout nempe lapis recte, transverſe, oblique, horizontaliter & perpendiculariter ſcinditur; ſi oblique, ſtriæ ductus ſerpentinos, oculis blandientes, ſiſtunt.

Alabaſtra de pago *Hartzungen*, *Ditionis Stollbergenſis*, ſunt: 1. candidiſſimum, in cujus lapicidina interdum & fruſta viridis Alabaſtri offenduntur, quæ vero, bonam vix polituram admittentia, negliguntur.

2. Album, fluminibus & ſtellis incanis, minoribus, majoribusque, Spat-Sterngen/ hinc Stern-

Ala-

Alabaſter dicendum, egregie pictum, ſed raro in apricum venit.

Idem venis ſpathicis pellucidis, mit durchſichtigen Spath-Adern / ſed rariſſime obvium.

4. Album ſolis ſtellis condecoratum.

5. Ex albo-cinereum, quaſi punctatum, ſtriis nigris.

6. Album ſemipellucidum, ſplendens, Eiß-Alabaſter, quia ſplendore ſuo ſemidiaphano glaciem congelatam exactiſſime refert. Eſt vena in lapicidina Alabaſtri albi 1729. noviter detecta.

7. Nigrum, macula ſplendente incana magna. vid. Behrens l. c. p. 155.

Lapicidina alabaſtri albi ad pagum *Hartzungen*, occidentem verſus in valle ad montem Mangel-Berg vel Rohte-Berg dictum, invenienda; in hujus venis interdum ſtratum ſpathi albi mollioris, friabilis, loco arenæ ſcriptoriæ, Streuſand / inſervientis, duas uncias altum, obſervatur; adſunt & in hoc Alabaſtro candido interdum venæ ſatis craſſæ alabaſtri ex albo-incani, weiß grau / nigris griſeisque ſtriis picti.

Alabaſtrum hoc album, diu äeri expoſitum, ſole & pluviis fit fragile, verwittert / & facillime tunc redigitur in albiſſimam, mollemque arenam bibulam, qua accolæ in vicinia hypocauſtorum pavimenta conſpergere ſolent; uſum eadem quoque ad exſiccandas ſcripturarum literas habet.

Item ad viam, der Marckeweg dictam, alabaſtrum ex albo-luteolum; item ex atro cinereo pulchre brunnum ſpathum, Spath-Stein / raris clare-incanis & albis maculis, obvia ſunt.

Porro *Hartzungæ* eruitur ex albo & obſcure-cine-

nereo mixtum & flammeum alabaſtrum; item ſubalbicans clare & obſcure-griſeis ſplendentibus maculis ſpathicis; item ſpathum coloris ex rubro & cano mixti.

Alabaſtra de pago *Uſſtrungen*, ditionis ejusdem 1 Cinnabarinum ſ. lucido-brunnum, paucis hinc inde diſſeminatis floribus albis.

2. Alia ejusdem ſpecies, maculis flaveſcentibus.

3. Alia ſpecies, punctis & albis maculis.

4. Adhuc alia, maculis majoribus incanis, & minoribus griſeis.

5. Sanguineum, maculis pallidis majoribus, & minoribus brunnis.

6 Alabaſtrum cœruleum, vel potius marmor, ſed rariſſimum. Weckerus de ſecret. p. 642. modum marmora & alabaſtra cœruleo colore inficiendi docet.

Alabaſtrum incanum maculis magnis nive candidioribus, & parvis obſcuris pictum de **Nieder-Sarwerſen**, qui pagus Stollberga-Hohenſteinenſis uno lapide Northuſa diſtat.

Ad hunc locum, **im Bornthal**, obvium eſt ex clare & obſcure-griſeis maculis ſpathicis, muſcarum alis non abſimilibus, hinc **Fliegen-Stein, Fliegen-Alabaſter** dicendum. Idem hic lapis, venis clare & obſcure-canis, quales in ſic dicto **dem ſchönen Mädgen-Stein** obſervantur, inſignitus & ſuperbiens, adhuc multo pulchrior eſt. In eadem valle **am Riblingsberg** adeſt alab. obſcure-cinereum, cum ejusdem coloris venis ſubtilibus & maculis ſpathicis nigris. Item clare-incanum, venis albidis & maculis ſpathicis nigris. Item **recht hell-grau**, oblongis, tenuibus & arctis nigris maculis ex ſpatho.

Alabaſtrum **Land-Charten-Stein**, alias **ſchöne Mäd-**

Digitized by Google

Mädgen-Stein dictum, quod Dom. Behrens l. c. Nußholtz-Stein, ſed falſe, vocavit; de monte Sattel-Kopf. Hic lapis elegantiſſimus, incanus, venis & ductibus ſuis majoribus & minoribus cinereis, repræſentat flumina, rivos, amnes, imo integras mappas hydrographicas. Reperitur quoque ad pagum *Steyerthal*, *Wigersdorff* & *Petersdorff*, confer. Behrens l. c.

Alabaſtrum rubellum, ad oppidulum *Ellrich*, ditionis Brandenburgico-Hohnſteinenſis, in monte *Röſeberg*, ad vallem *Röſethal*, erutum.

In lapicidinis montis *Röſeberg*, ohnfern dem faulen Sumpf, proſtat quoque (a) clare-incanum, recht hell-grau, & album mixtum, punctis & maculis ſubtilibus ex atro-cinereis pictum.

(b) Obſcure-cinereum venis albis, & prout ſtrata quorum quædam vix cultri dorſum craſſa, cadunt, alia colorum mixtio obſervatur. Hæc alabaſtra admodum ſolida & dura, bonam admittunt polituram. Adſunt fruſta majora pro lapidibus ſepulchralibus.

(c) Verſus *Neuenhofe* bey der Rautz-Hütte eruitur Alab. album, maculis clare-incanis ſubtilibus, & venis ejusdem coloris; fruſta interdum longitudine & craſſitie unam cum dimidia ſuperant ulnam, ſunt prædura, & lævigata egregie nitent.

Marmor, Nußholtz-Stein dictum, de Pago *Petersdorff Dition. Stollberg. Hohnſteinenſis*, ex lapicidina im Kirch-Holtz. Convenit cum *Steyerthalenſi* ſupra deſcripto.

Alabaſtrum canum, ſtriis cinereis, weiſſer mit hell-grauen Strichen, de pago Stempel *Comitatus Stollbergenſis*, hoc anno detectum.

Non procul hoc pago, in oris *Hohnſteinenſibus*, invenitur alabaſtrum nigrum & optimum in præmagnis rupibus.

Item prædurum, obſcure & lucide-nigrum, nec non clare-incanum, ſtriatum, maculis rarioribus albis & clare-cinereis.

Alabaſtrum 1. ex albo cinereum, ſtriis flammeis & undulatis, de pago *Rüdigesdorff*, quod *Tibi* nominare placuit in Lucubratiuncula prima p. 9. den Cyper-Katzen-Stein. Hunc lapidem *Dom. Leſſer*, amicus noſter communis, ſupra laudatus, primus 1728. invenit.

Alia ejusdem ſpecies, ab eodem quoque, uno eodemque anno, detecta. B 2 Hic

Hic loci reperitur quoque **auf der Kuppen** alabaſtrum clare-cinereum, guttulis albis pictum, admodum durum. Item ex albo-griſeum, magnis maculis cinereis & albis inter ſe mixtis. Item ex meris laminis compoſitum, clare-cinereum, ſubalbidum & lucide-brunnum, maculatum, micis ſpathicis clare-brunnis, fuſcis & lucide-canis quaſi conſitum; ſcinditur & politur ſecundum planitiem horizontalem ſtratorum.

Alabaſtrum 1. pellucidum album de *Tettenborn*, *Ditionis Brandenburg-Hohnſteinenſis.* 2. Album.

Alabaſtrum variegatum de *Bleicherode.*

Item variegatum miculis ſplendentibus de *Solſtedt.* Ex ſingulis modo dictis Alabaſtris *Northuſæ* ſtatuæ, lapides ſepulchrales, varia vaſa & utenſilia, menſæ, &c. a fabris marmorariis, quorum plures in hac urbe habitant, artificioſe finguntur. Menſæ vernice aurea obductæ, item ſic dictæ: mit Verſetzung der Farben rauten-förmige Tiſche, elegantiſſimæ ſunt, & reliquis palmam præripiunt.

Porro adeſt ovum ex marmore candido tornatum, incerti loci. Item menſula marmorea alba, ad quam granorum Coffe decoctum bibitur, cum omnibus ad hunc potum neceſſariis vaſis, ollulis, capſula pro ſaccharo, & reliquis, Caffe Zeug dictis, vernice & icunculis verſicoloribus variis Norimbergæ eleganter picta.

Lapis Lydius, ein Probier-Stein, ex marmore duriſſimo atro polito, in quo aurum & argentum examinatur, confectus. Plures ejus, ratione coloris, dantur ſpecies; ſunt partim cinerei, partim ex pallido-virides, partim nigri, qui reliquis præferuntur. Modum hos lapides, metallis dictis imbutos, depurandi docent die curieuſe Heimlichkeiten von Raritäten und Wunder-Künſten. p. 42. 43. *Coticula* oblonga quadrata nigra, ein Schleif-Stein; marmoris quoque ſpecies eſt.

Et hæc ſunt omnia marmora & alabaſtra, quæ muſeum noſtrum viſenda in præſenti offert. Sic claudimus hanc epiſtolam cum voto omnigenæ & omniferæ felicitatis, fortunæ & proſperæ valetudinis, quam Deus *Tibi* det. Vale reliquum & fave

Wolffenbüttelæ die 1. Dec. 1733.

Tuo

Brückmanno D.

(o)

SS 548165

Digitized by Google